Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25968
Copyright: Admont, Benediktinerstift



subditorum et prelatorum. eorum qui pie subesse et si presse contingat. in humilitate student presse. Et subductis inquit euglista ad terram nauibus relictis omnibus secuti sunt eum. Subducuntur ad terram naues. cum corpore et anima ad terram uiuentium peruenerimus. ubi uere relictis omnibus sequi perfecte dominum poterimus.

Ad hec optinenda et querenda. iterum ducit et docet nos oratio hodierna. in qua sic petimus. ut ille qui diligentibus se bona inuisibilia preparauit. infundat cordibus nostris sui amoris affectum. ut eum in omnibus et super omnia diligentes. hoc est siue simus in omnibus et cum omnibus in subiectione. siue simus super omnes in prelatione. promissiones eius que omne desiderium superant. subductis ad terram nauibus nostris consequamur. Quod ipse prestare dignetur. qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus per omnia secula seculorum. amen.

Dominica sexta. Matheum.

AMEN DICO.

VOBIS. NISI ABVNDA uerit iusticia uestra plusquam scribarum et phariseorum. non intrabitis in regnum celorum. Et R.

Omelia lectionis eiusdem.

DOMINICA HODIERNA. QVE AB EXORdio dominicarum quas celebrauimus sexta ponitur in ordine. sexte diei congruit. in qua deus pater post creationem celi et terre et omnium que in eis sunt. sexta die nobilem creaturam hominem uidelicet creauit ad imaginem et similitudinem suam. De hac sexta die. ita in genesi scriptum est. Dixit quoque deus. Producat terra animam uiuentem in genere suo. iumenta et reptilia et bestias terre secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit deus bestias terre iuxta species suas.